

nis *Fith-Stephens* Equitis aurati, hinc de *Hacombe* denominati, per cujus filiam *Ceciliam* in *Archidiaconorum* familiam devenit, à qua itidem per *Hugonem Courteney* ad *Carewos* decursu temporis devoluta est, quorum familia in his regionibus admodum clara & numerosa habetur. Iana enim filia *Hugonis* illius, & hæres matris *Nicolao Baroni Carew* nupta plures peperit liberos, quorum natu maximus *Thomas*, cum minus reverenter matrem haberet, transcripsit illa patrimonium admodum opulentum in tres filios minores natu, (è quibus tres illæ familiæ *Careworum* de *Hacombe*, *Anthony*, & *Bery* sunt ortæ) & *Ioannem Vere* è secundo marito filium, à quo *Comites Oxoniæ*.

Inde *Teignemouth* viculus ad ostium *Teigni* flu. unde & nomen, occurrit, ad quod *Dani*, qui ad *Britanniæ* situm, & aditum explorandum præmissi erant, primum circa annum *Salutis* DCCC egressi, occisoque loci præfecto omen futuræ victoriæ ceperunt, quam postea per universam insulam summa cum immanitate exercuerunt. Interius prope *Teigni* scaturiginem sedet *Chegford*, ubi floruit quondam familia clara de *Prows*, inde *Chidley*, quod amplæ familiæ de *Chydley* suum nomen impertiit, & proxime ostium *Bishops Teignton*, sic appellatū quod ad *Episcopos* spectarit, in quo, quia erat asyllum, *Ioannes de Grandifono* Burgundus *Episcopus Exoniensis* quasi prælagus futuri, pulcherrimas ædes extruxit, ut haberent successores (ex ejus testamento loquor) ubi caput suum reclinarent, si forte in manum regis eorum *Temporalia* caperentur. Verū tantū abfuit, ut consiliū ejus expleretur, ut successores, & his ædibus & aliis fere omnino jam exciderint.

Ad sextum inde milliare *ISCA* fl. cujus meminit *Ptolemæus*, *Britannis Isc*, *Anglo-Saxonibus Ex* dictus, magno ostio in *Oceanum* se immitit. An hoc nomen accepit ab *Iscaw*, quæ *Sambucos* *Britannis* denotat, plane nescio. Sunt qui ab *arundinibus*, quas *Britanni Hesk* vocant, deducunt, & quarum tegulo *Septentrionales* populi, ut *Britanni*, tecta operiebant, & navium commissuras ferruminabant. Sed cum *arundines* hic non inveniuntur, assensum cohibeo. Hic flu. fontes habet in *Exmore* squalenti & infœcundo juxta *Sabrinianum* fretum solo, quod magna ex parte *Somersetensis* censetur agri, & in quo nonnulla visuntur antiqui operis monumenta, videlicet saxa alibi in triangulum, alibi in orbem disposita, & inter ea unum *Anglo-Saxonice*, vel potius *Danicis* literis inscriptum, ad dirigendum eos, ut videtur, qui illac iter habent. *Ex*, sive *ISCA* illic primum ad *Austrum* delabens per *Twifordton*, à vado duplici dictum, nunc *Teverton*, cui gloriæ & quæstui pannificium, campos satis latos perstringit, duobusque præcipuis augetur fluviolis, *Credeno* ab Occidente, & *Columbo* ab Oriente. Ad *Credenum* in primitiva *Anglorum* *Ecclesia* sedes floruit *Episcopalis* in ejusdem cognominis oppido *Cridiantum*, nunc contracte *Kirton*, quod natale solum *Winifridi* illius, sive *Bonifacii*, qui *Hessos*, *Thuringos*, & *Frisios* *Germaniæ* ad *Christum* convertit: nunc tantum mercatu minus frequenti, & *Exoniensis* *Episcopi* ædibus notum; patrum autem memoria multo notius erat Collegio duodecim *Præbendariorum*, qui jam evanuerunt. *Columbus* fl. qui ab Oriente venit, *Columbron* oppidulum, quod suo nomini adoptavit, ab *Alfredo Rege* filio suo juniore olim testamento legata *Britannia*.

tum alluit; & prope *Poltimore* sedem claræ & perantiquæ familiæ de *Bamfield* *Isca* aquis commiscetur. Iamque *Isca* grandior, sed divortii ludens magna cum molarum opportunitate, *ISCAM* urbem allabitur, cui nomen relinquit. Vnde *Alexander Nechamus*:

*Exoniæ fama celeberrimus Iscia nomen Præbuit.*

Urbs hæc *ISCA* *Ptolemæo* dicitur, *Antonino ISCA DVNMONIORVM*, pro *DANMONIORVM*, aliis falso *Augusta*, quasi legio *Secunda Augusta* ibi egisset, cum illam *ISCAE* *Silurum* stationum egisse infra docebitur, *Anglo-Saxonibus* *Exancearce*, atque *Monketon*, à *Monachis*, hodie *Excester*, *Latinis Exonia*, *Britannis Caerisk*, *Caeruth*, & *Pencaer*, id est *Vrbs primaria*. *Caer* enim, ut semel hoc admoneam, apud nostros *Britannos* urbem sonat, unde *Hierosolymam Caer Salem*, *Lutetiam Caer Paris*, *Romam Caer Ruffayne* appellant. Sic *Carthago Punica* lingua, *Cartheia*, teste *Solino*, dicebatur, id est, *Nova civitas*. *Syris* itidem *Caer* urbem significasse accepimus, à quibus cum totum terrarum orbem incolis refertum fuisse in confesso sit, linguam quoque posteris reliquisse, tanquam futurarum matricem probabile videatur. *Vrbs ista*, ut inquit *Malmesburiensis*, licet solum adjacens humidum, & squalidum vix steriles avenas, & plerumque inane folliculum sine grano producat, tamen sua magnificentia, incolarum opulentia, & convenarum frequentia, omne ita abundat commercium, ut nihil ibi frustra desideres, quod usui esse existimes. Sedet autem ad *Orientalem* *Isca* ripam, molli & clementer edito colle ad *Orientem*, & *Occidentem* declivi, fossis & mœnibus fortissimis cincta, turribus frequenter interpositis, ambituque suo *M. D.* passus colligit, longe hinc inde procurrentibus suburbiis, ecclesiasque parochiales *xv* numerat, & in ipsa altissima parte prope portam *Orientalem* castrum habet *Rugemount* dictum, quondam *Regum West-saxoniarum*, postea *Comitum Cornwalliæ* sedem; nunc tantū antiquitate, & situ commendatum. Subjectæ enim urbi, & regioni undique minatur, per jucundus; fruitur in mare prospectu. In *Orientali* urbis parte ecclesia primaria cernitur, speciosis ædibus circumsepta, ab *Athelstano* rege, ut privata loci historia testatur, *Divo Petro* fundata, monachisque; referta, quam demum, monachis *Westminsterium* traductis, episcopali dignitate *Edwardus Confessor* ornavit, *Cornubiensi*, & *Credensi* sedibus huc translatis; *Leofricum*que *Britonem* primum constituit *Episcopum*, cujus successores templū & ædificiis & reditibus adauxerunt, *Guilielmusque Bruier*, qui ab eo nonus, monachis *emotis*, *Decanum*, & *xxiii* *Præbendarios* induxit. Quo seculo floruit qui hinc oriundus & cognominatus *Iosephus Iscanus* splendidissimo ingenio *Poëta*, cujus scripta ita probantur, ut ad veterum scriptorum laudem pervenerint. Ejus etenim de bello *Trojano* poëma *Germani* semel atque iterum sub *Cornelii Nepotis* nomine divulgavit.

Quo tempore *Isca* in *Romani imperii* jus concessit, non certe constat, tantum enim abest, ut à *Vespasiano* expugnatam affirmarim, quod *Galfr. Monumethensis* asserit, cum sub *Claudii Imperatoris* auspiciis in *Britannia*, ut inquit *Suetonius*, fatis monstraretur: ut vix dum fuisse conditam existimem: *Antoninorum* tamen temporibus satis celebris videatur, ad hanc enim, nec ulterius

Careworum familia.

Dani primum Britanniam ingressi. Chegford. Chidley. B. Teignton.

Isca fl.

Plinius.

Saxa antiqua.

Tiverton.

Winifridus Germanorum Apostolus.

Poltimore.

Isca Danmoniorum. Excester.

Caer quid significat.

224.

Iosephus Iscanus.

Corn. Nepos.